





104. 1777 31.  
VINDICIAE  
FEVDI PIGNORATITII.

---

DISSERTATIO

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII  
PRAESIDE

IO. ADAMO THEOPHILO KINDIO

PHILOSOPHIAE AC IVRIVM DOCTORE, PROFESSORE PV-  
BLICO EXTRAORDINARIO, CVRIAE SVPREMAE PROVIN-  
CIALIS ET CONSISTORII LIPSIENSIS ADVOCATO

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XVIII. SEPTEMBRIS A. C. N. MDCCLXXVII.

DEFENDET

IOANNES STEINMETZ

ZEYSTO-VLTRAIECTANVS.

---

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFFIIS.

VINDICIAE  
FEVDI PIGNORATIUM

DISSERTATIO

QUAM

CONSENSU MAJSTRIS HONORVM COLLEGI  
BRASILE

IO. ADAMO THEOPHILIO KINPIO

IMPLETORIS AC IURIS DOCTORIS, MAGISTRI  
LITTE. HONORARIJ, ET  
CLERICI ET CONSISTORII SACR. PALATII

IN AUDITORIUM ICTORVM

A. D. MDCCCLXXXIII. K. X. SEPTEMBRIS

OPUS

IOANNES STEINMAYER

AVCTOR

LIPSIÆ

LIBRARIIS BERTHOLDI

---

## VINDICIAE FEVDI PIGNORATITII.

---

### *Institui ratio.*

**E**x infeudatione variarum rerum tum corporalium tum incorporalium quaedam eminentes feudorum species nascuntur, quae ab ipsa re infeudata nomen accipiunt. Sed multa sunt feuda, quae a re quadam corporali denominari solent; in quorum vero naturam et indolem si paulo curatius inquiseris, non tam rem corporalem, quam potius incorporalem, ex cuius demum exercitio illa oritur atque perspiciuntur, in feudum concessam esse intelligas. Quare uti in omni feudo, quae res infeudata sit, diligenter inuestigari debet, sic id tum inprimis necesse est, ubi ex feudi denominatione, quae res sit infeudata, haud oppido cognoscitur. Id enim nisi plane perspectum habeas atque cognitum, non potes non in feudi natura atque indole definienda vehementer errare. Quod etsi exemplo feudi de cauena et de camera, habitationis, pecuniarii aliorumque luculenter posset confirmari, tamen ex multis aliis lubet feligere *Feudum pignoratitium*, de quo iam paulo curatius exponere constituimus. Nos quidem haud latet, in eo argumento iam versata esse interpretum iuris feudalis ingenia<sup>a)</sup>; At enim cum rem nondum ita omnibus numeris absolutam atque explicatam esse intelligeremus, ut nihil amplius dubitationis haberet, speramus fore, ut quam eidem rei nosmet ipsi impendimus, opera haud superuacanea videatur iis, qui sciant, quae et quanta opinio-num diuersitas hac in re inter doctores iuris feudalis adhuc deprehendatur. Quodsi enim, quae res in feudum, quod a pignore

A 2 nomen

a) ARN. KRUPP. in diss. de feudo pignoratitio (Giesse 1689) SAM. STRYCK in diss. de feudo pignoratitio (Vitt. 1692.) et ap. IENICHIVM in Thef. iur. feud. T. III. p. 110 - 155.

VLR. MARBACH in diss. de feudo pignoratitio (Argent. 1710.) et apud IENICHIVM l. c. p. 156 — 169. et IAC. RAVE in diss. de feudo pignoratitio (Lenæ 1762.)

nomen habet, concedatur, inter eos nondum conuenit, aliis obiectum huius feudi in re oppignorata, aliis in iure pignoris quaerentibus, non mirum, si de natura et indole huius feudi alii aliter sentiant. Huc accedit et illa excusationis iusta, ut mihi videtur et idonea ratio, quod IO. GOTTLIEB SIEGEL<sup>b)</sup> feudum pignoratitium in tanta opinionum dissensione ad somnia interpretum iuris feudalis referendum atque ex catalogo feudorum expungendum existimauit, praecipue cum ea feudi species non solum omni fundamento, sed etiam utilitate carere visa ipsi fuerit. Cui opinioni, quippe falsis rationibus innixae, cum assensum nostrum adscribere non potuerimus, equis vitio nobis vertat, nosque operam perdere statuat, si feudum pignoratitium a dubiis liberatum iustis veluti vindiciis in locum suum restituere studeamus? Quod ut rite fiat et omnes dubitationes plane euanescent, id negotii nobis datum esse credimus, ut omnem feudi pignoratitii indolem et naturam paulo diligentius explicemus.

## §. I.

*Modus pignoris habendi duplex.*

Pignus, quod in sensu speciali est ius in re a debitore creditori per traditionem in securitatem crediti constitutum<sup>a)</sup>, et quod *Fauspfand*, *Handhabendpfand* vulgo dicunt<sup>b)</sup>, potest esse vel in nexu feudali vel non, sed absque illo constitui, quod tum regitur principiis iuris ciuilibus, quatenus iuri feudali opponitur. Vnde consequens est, ut modus, quo creditor pignus traditum tenet, sit vel *allodialis* vel *feudalis*, prout res oppignorata vel *solo pignoris iure* possidetur, vel simul *infeudatio pignoris* addita fuit. Ibi quicquid iuris creditor pignoratitius habet, id omne ipsi competit vi solius tituli pignoris, quod est *ius allodiale*. Hic autem creditor pignoratitius ob adiectam pignoris infeudationem simul per-

b) in diss. de feudo pignoratitio re fundamenti et utilitatis egeia, (Lips. 1742.) et apud IENICHIVM in l. c. p. 170 — 192.

a) IVST. HEN. BOEHMER in diss. de diverso pignoris et hypothecae iure. §. 2. (Hake 1748).

b) IOACH. POTGIESER in Comment. de indole et natura pignoris c. 1. §. 10. IO. FRID. KOBIVS in Comment. de pecunia mutuaticia tuto collocanda cap. V. §. 52. IOACH. de FRICK de differentiis iuris Romani et Germanici circa pignus in manus traditum, handhabend Pfand. (Kilon. 1733.)

personam vasalli sustinet, et ius quod ipsi in pignus tribuitur, titulo feudali habet, quod est *ius feudi*. Modus pignoris habendi feudalis ob adiectitiam qualitatem infeudationis probari debet; allodialis vero tamquam simplicior praesumitur.

## §. II.

\* *Differentiae iuris Romani et Germanici in iuribus pignoris constituti.*

Iam antequam ad rem ipsam progrediamur, praecipua, quae creditori vi pignoris in rem oppignoratam competant iura, lubet paucis quaerere et exponere, quia ad institutum nostrum apprimè facere videtur. In qua quidem quaestione leges Quiritium a moribus majorum diuortium faciunt. *Pignoris Romani* ea ratio ac indoles est, vt creditori praeter nudam custodiam securitatis causa habendam in re oppignorata nullum plane ius tribuatur, adeoque nec dominium nec ius pignore vtendi, nisi vi pacti antichreseos competat, sed si excipias possessionem rei oppignoratae, quae securitatis gratia in creditorem transit, omnia maneant debitoris \*). Latus autem patet ius *pignoris Germanici*, quod immane quantum a Romano differt. Creditor re, quam vi contractus pignoratitii in crediti securitatem traditam accepit, vti et frui potest in vicem vsurarum vsque ad crediti restitutionem. Etenim ex moribus maiorum natura contractus pignoratitii ita fert, vt hic coniunctus sit cum iure percipiendi fructus pignoris, quemadmodum inter alia testatum faciunt formulae in chartis oppignoratorum b) obuia: *in eius rechten wewenden phandesweise an Abslag der nutzze inne haben und nietzen als lange unoz daz wir oder unser Erben — — erledigen; zu eine rechte wahren Pfand sine in Pfands-weis inne han; nutzen, niessen und gebrauchen.*

A 3

a) l. 35. §. I. π. de pignoratitia actione vel contra §. 6. Inst. de obligat. quae ex delict. nasc.

b) ERN. IOACH. de WESTPHALEN in Monum. inedit. Rer. Germ. praecipue cimbricar. et Megapolens. T. IV. p. 999. 3076. 3082. 3120. 3132. CHR. HENR. de SENCKENBERG in Select. Jur.

et histor. T. IV. p. 165. 168. 174. T. V. p. 375. 10. GOTTL. HORN in Cod. Fridericiano Vitae Friderici Bellicosi adiect. Doc. 76. p. 692. et Doc. 262. p. 860. et IOACH. FOTGIESER in Comment. supra laud. cap. III. vbi nubem exemplorum oppignoratorum Germanicarum ex chartis attulit, ex quibus illarum indoles luculenter perspicitur.

qui dominium pignoris in creditorem transferri statuerit, huius fere argumenti  
utuntur 1) quia in Spec. Sax. L. ll. Art. 24. pignus inter modum amittendi deminuis  
refertur. 2) quia re oppignorata casu fortuito perente creditore esse damnum  
in Spec. Sax. L. ll. Art. 1. VINDICIAE FEVDI PIGNORATITII.

dictum, et res perit  
domino.

3) quia debitor pignus  
absque eius consensu  
in tertium transla-  
tum vindicare  
nequit, sed solam  
creditorum actionem  
pulsare potest (Spec.  
Sax. L. ll. Art. 60)  
Sec. tritum: Gaud  
uisi Gaud uisum  
Sed hoc argumentum  
facile refelli potest  
Nauu

ad 1) loc. Spec. Sax.  
a) non tam de  
modo amittendi  
dominium, quam  
de amissione pos-  
sionis explicauit  
dey est. Riccia  
in l. c. §. 9.

b) fictiui de modo amittendi dom.  
Speciali uide  
dominium.  
c) compilatori  
Spec. Sax. non  
in ij ubi contra  
iuris tal. disputa-  
uit, fides habenda  
est.

ad 2) ex damni  
profectione ad dominium non argumetur licere patet ex iure Rom. quo  
periculum rei uendite et nondum facte ad eum transiit licet  
uenditor adhuc sit dominus. l. 9. ff. de peric. et commo. rei uendite.  
Debeuere iure conductor equi fusto ablati estimationem prestare

als lange, bis das wir — — gelosen &c. Quare pignus Germa-  
nicum sua natura est antichreticum et creditor pignoratitius vi-  
pignoris insignia habet commoda, quod tum iure in re pignori  
data sibi constituto, tum iuribus possessionis et iure rei oppigno-  
ratae redditus sibi habendi fruatur, vsque dum praestita ipsi fue-  
rit crediti solutio: quod ius apud Romanos non nisi ex pacto  
antichretico repetitur. Iam vna adhuc superest quaestio, quam  
silentio haud praeteriisse iuuabit, transeatne dominium pignoris  
Germanici in creditorem nec ne: in qua quidem quaestione in-  
terpretes iuris Germanici in duas veluti sectas abeunt, aliis eam  
affirmantibus <sup>c)</sup>, aliis negantibus <sup>d)</sup>, quorum castra et nos sequi-  
mur. Nam temporarium et reuocabile rei oppignoratae domi-  
nium saepenumero, quemadmodum inter illustres oppignoratis  
territoriis fieri solet <sup>e)</sup>, in creditores translatum fuisse et si in  
santa exemplorum copia negari nequit, tamen id non tam ex  
pignoris Germanici indole et natura, quam ex pactis contractui  
pignoratitio adiectis aliisque specialibus rationibus, in quibus  
etiam est infeudatio pignoris, repetendum esse celeberrimus et  
harum rerum peritissimus CHRIST. GOTTL. RICCIUS <sup>f)</sup>  
egregie effecit, et omnibus, quae in contrarium afferri solent, prisci  
iuris Germanici monumentis indefesso studio excussis hunc opi-  
nionis errorem, quo multi capti seu potius decepti pignus iure  
Germanico tribuere dominium rei oppignoratae et sibi persua-  
dent et aliis persuasum cupiunt, magno eruditionis apparatu tam  
solide profligauit, vt nemo fere hodie contrariae sententiae  
existat defensor; quare huic rei diutius inhaerere nec lubet nec  
vacat.

III  
de ratione

c) NIC. HIER. GYNDLINGVS in  
Schediasm. de iure oppignorati ter-  
ritorii secundum ius Gentium et Teu-  
tonicum (Halae 1706.) CHRIST. THO-  
MASIVS in diss. de vsu practico distin-  
ctionis inter emtionem cum pacto de  
retrocedendo et contractum pignora-  
tium (Halae 1707.) IO. GOTTFR. VON  
MEIERN in Gedanken von der Recht-  
mässigkeit des sechsten Zinsthalers in  
Teutschland (Hannouer. 1732.) §. 15. sq.  
d) IO. STRAVCHIVS in diss. de op-  
pignorationibus imperialibus (Ienz

1671.) et in Ei. Opusc. iuridico. histo-  
rico-philologicis p. 727-775. IOACH.  
POTGIESER in Comment supra cit. et  
Vir Generos, IO. HENR. CHR. de SEL-  
CHOW in Elementis iuris Germ. priua-  
ti §. 577.

e) Vir Generos. IO. HENR. CHRIST.  
de SELCHOW in Elementis cit. §. 607.  
et ibi allati autores.

f) in Exam. polemico doctrinae de  
dominio pignoris Germanici in credi-  
torem translato (Gothae 1746.)

lene  
ad 3)  
trans  
auu.



tenetur, licet tantum ad levissimam culpam teneatur.  
ad 3) eum idem de commodato dicitur, cuius dominum vi creditorum  
transgredere necesse dixerit; regula: *quod vi aut fraudi usque, non tamen domini*  
VINDICIAE FEVDI PIGNORATITII  
missiorem irroborat, quam fidei serm. luculentum iudicium est.  
§. III.

Notio feudi pignoratitii.

Res in securitatem crediti tradita non solum mero pignoris iure possideri, sed etiam, vt contractui pignoratitio maior vis concilietur, infeudatio pignoris accedere potest, siquidem ab illius contractus natura non abhorret, vt creditor pignoratitius ius pignoris titulo feudi habeat seu ei feudum pignoratitium constituatur. Etenim sub feudo pignoratitio, quod in lingua theodisca Pfandlehen, Lehenfassung, geliehene Satzung vocant, intelligitur id, quo ius pignoris in re certa tradita in feudum conceditur <sup>a)</sup>. Stricto pignoris sensu nos hic vti non est, quod moneamus. Quemadmodum autem pignus sine credito non intelligitur, sic quoque feudum pignoratitium necessario ponit creditum, in cuius securitatem constituitur. Quare haec feudi species triplex negotium requirit <sup>b)</sup>. Primo enim ponitur debitum, deinde ius pignoris in re certa tradita, tertio denique infeudatio pignoris accedere debet, ex qua demum feudum pignoratitium oritur.

§. IV.

Obiectum feudi pignoratitii est ius pignoris in re certa tradita constitutum.

Iam vt feudi pignoratitii ratio ac indoles penitus cognoscatur, quod illius sit obiectum, ante omnia lubet inquirere, quia in eo vt plurimum a viris eruditissimis errari deprehendimus. Ac principio quidem quemadmodum in feudo pecuniario, aduocatae, decimarum, iurisdictionis aliisque iurium infeudationibus ius a re ipsa, quae cum illo coniuncta esse solet, sic quoque in feudo pignoratitio res oppignorata ab huius effectu h. e. iure pignoris diligenter fecerni debet. Nam res immobilis in pignus traditur, sed ius, quod exinde oritur, titulo feudi conceditur, ideoque recte vocatur pignus infeudatum. Quare obiectum feudi pignoratitii non est res oppignorata, sed ius pignoris (Pfandschafft), quod exemplo aliorum iurium in feudum datur, ideoque nostra feudi spe-

a) Illustris GEO. LVD. BOEHMER in Principiis iuris feudalis §. 76.

b) CASP. HENR. HORN in iuris prudentia feudali, cap. IV. §. 10. VLR.

MARBACH in disp. supra cit. §. 4. et IO. GABR. WOLF in Elementis iuris feudorum cap. XVIII. §. 22.

species non ad corporalium, sed incorporalium rerum infeudationem pertinet. Atque in eo, si quid video, latere mihi videtur τὸ πρῶτον *Fevdos* IO. GOTTLIEB SIEGELII, qui cum rem oppignoratam in feudum pignoratitium dari sibi perluaferit, eo tandem delapsus est, ut id genus feudi plane negaret atque e numero feudorum proscriberet<sup>a)</sup>.

## §. V.

*Infeudatio pignoris conuenit analogiae iuris feudalis.*

Satis hoc est inter omnes cognitum perspectumque, omnia iura, quae ad infeudandum capacia et idonea sunt, h. e. vsum feudo conuenientem praestant, infeudationem recipere<sup>a)</sup>. Atqui, ius pignoris, cum rei immobili inhaereat, ex dispositione legum pro re immobili habetur, cuius tum dominium vtile in vasallum transferri, retento dominio directo, tum domino simul securitas ratione domini directi salua conseruari potest. Creditori pignoratitio neque dominium rei oppignoratae neque ius vtendi fruendi competit, sed vi tituli pignoris sola possessio rei oppignoratae securitatis causa tributa est; attamen cum in ius pignoris, quod in re immobili creditori constitutum est, non minus ac in alias res immobiles dominium vtile cadere possit, facile intelligitur, quare, facta pignoris infeudatione, creditori tanquam vasallo tributa censeantur iura, quae dominio vtili insunt. Quae cum exercentur in re immobili, in qua ius pignoris constitutum est, dominus satis securitatis habet ratione domini directi. Quid igitur causae est, quare ius pignoris nequeat titulo feudi concedi? Vtrum specialis ratio adest, quae pignoris infeudationem impediatur? Equidem nullam video, nec quisquam, opinor, idoneam afferet causam. Quorsum autem haec disputo? Quorsum? Vt argumentum, quod ex iuris feudalis Longobardici silentio de pignore infeudato ducit SIEGELIVS<sup>b)</sup> diluam atque dissoluam. Infeudationis iuris pignoris mentionem in iure feudali Longobardico non fieri lubentissime largimur;

a) in diss. de feudo pignoratitio re fundamenti et vtilitatis egena.

a) II. F. I. §. I. CHR. LVD. STIEGLITZ in diss. de iuribus et actionibus

feudi titulo concessis. (Lipl. 1747.) §. 12. sq. Illustris GEO. LVDOV. ROEMER in principis iuris feudalis §. 51.

b) in diss. supra cit. §. 7. seq.

mur<sup>c)</sup>; nihilominus causa nostra salua perficit. Quis quaeso omnes feudorum formas describere valet; nec legislatoris est, omnia legibus ita constituere et verbosius exprimere, vt nihil relinquatur, quod ibi non sit quam accuratissime descriptum. Sufficit certam normam constitutam esse, ad quam et ea, quae in legibus expresse definita non sunt, diiudicare possis. Quare in rebus infeudandis, infeudatisque diiudicandis non tam, an istarum rerum infeudatio apud Longobardos vsitata et mentio in iure feudali Longobardico facta fuerit, quam potius in id inquirendum est, an illae res ex generali feudorum norma et ratione recipiant infeudationem, h. e. an huius tum capaces tum idoneae sint. Et multa hodie inueniuntur feuda, quae etsi in iure feudali Longobardico frustra quaesieris<sup>d)</sup>, solido tamen fundamento ea destitui nemo ideo existimauerit.

## §. VI.

*Vestigia pignoris infeudati in iure feudali Germanico.*

Priscis Germanis infeudationem pignoris haud incognitam fuisse<sup>a)</sup> collectiones consuetudinum feudaliu Germanicarum medio aeuo factae, haud obscure testantur. Equidem in hanc rem cum aliis abuti nolo *cap. XXVI. et LVI. iuris feudalis Alemannici*, vbi non tam de pignore infeudato agitur, quam de feudo

c) Non desunt, qui haud obscura pignoris infeudati vestigia in iure feudali Longobardico deprehendi existimant, et in hanc rem afferre solent I. F. 4. §. 4. II. F. II. et I. F. 28. Verum enim vero si textus citatos accurate perlegeris, de pignore infeudato haud intelligendos esse videbis. Et enim ibi agitur, partim de nudo pignore, partim de re antea in pignus data, postea nexu pignoris soluto, iure feudi translata. Creditor praedium, de quo se inuestitum esse contendit, olim pignoris iure apud se fuisse, sed postea sibi id in feudum concessum esse affirmat. Quia autem commutatio illa, vt res facti non praesumitur, ei, qui illam interuenisse contendit, de-

fertur onus probandi per pares curiae, cf. CASP. BITSCHIVS in Comment. in consuetudines feudorum p. 126. SAM. STRYCKIUS in diss. supra cit. c. I. §. 6.

d) Siluam exemplorum collegere FRIDR. CARL BVRI in seiner Erläuterung des in Teutschland üblichen Lehnrechts, p. 449. seq. et p. 567. seq. 10. GEO. ESTOR in seinen kleinen Schriften T. III. p. 468. seq. de variis iurium speciebus in feudum concessis; aliique.

a) Feuda pignoratitia inprimis tempore expeditionum cruciatarum inuasisse obseruabit IVST. HEN. BOEHMERVS in diss. de varia iurium inuactione per expeditionem cruce signatorum c. III. §. 8. in Ej. Exerc. T. I. p. 325 sq.

B

feudo legitime oppignorando praecipitur. Alia eaque luculenta, quae ad hanc rem pertinent, afferri possunt loca. *Wirt eime Manne*, inquit autor iuris feudalis Saxonici <sup>b)</sup>, *gut gelihen uf sine truwe das es ez uslaze wenne ez sin herre losz zu bescheidener zit daz gut mac der losen abher wil und mac ez lazen*. Iisdem fere verbis utitur autor iuris feudalis Alemannici, *Wurd einem Man*, inquit <sup>c)</sup>, *gut gelihen usse sine truwe das es der Herre losen mag umbe ein gut wie su denne gedingt hant uff einen bescheiden tag der mag das gut losen ob er wil er mag es ouch lassen ob er wil mit rechte wenne da ist nit rechtes by*. Non quidem expressa feudi pignoratitii in his locis fit mentio, attamen ibi de illo agi intelligimus ex relictione, quae domino vi pignoris infeudati competit. Ast relictio non solum in feudum pignoratitium, sed etiam fiduciarium cadit, et de hoc potius, quam de illo loca citata intelligenda esse videntur. Res salua est. Feudum pignoratitium, vtut a fiduciario maximopere differre vulgo existimant <sup>d)</sup>, tamen huius speciem esse, omninoque feudo fiduciario omnia, quae relictioni subsunt feuda, tanquam species subiecta esse, vt est, ita recte statuit cel. GEO. FRID. KRAVSIVS <sup>e)</sup>. Quare non video, cur loca citata ad nostram feudi speciem referri nequeant. Peropportuna nobis succurrit alius, qui huc pertinet ex iure feudali Alemannico locus <sup>f)</sup>. En ipsa verba: *Wer peytt lehen und Satzunge an eime gute miteinander seit der seit unrecht wenne Satzunge mag nit lehen gesin noch lehen Satzunge gesin* — Verum enim vero hic locus ad sententiam nostram stabiliendam adeo nihil facere videtur, vt etiam illi maximopere, vti opinatur SIEGELIVS <sup>g)</sup>, repugnet, praesertim si addideris, quae §. 5. cap. cit. dicuntur: *Lehen-Satzunge ist weder lehen noch Satzunge*. Quid enim? Compilerator iuris feudalis Alemannici, quocum consentit autor iuris feudalis Saxonici <sup>h)</sup> videtur negare pignus infeudari posse. Sed aliam plane sententiam eorum esse intelligas, si dicti veteris

ICTI

<sup>b)</sup> cap. 57. ap. HENR. CHRIST. SENCKENBERGIVM in corp. iur. feud. Germ. p. 199.

<sup>c)</sup> cap. 97. §. 1. apud eundem p. 80.

<sup>d)</sup> IO. CASP. HORN in Iurisprud. feud. cap. IV. §. 12. p. 73. NIC. HIERON. GYNDLING über Schilters

Institut. iur. feud. cap. IX. §. 26. p. 346. alique.

<sup>e)</sup> in diff. de feudis fiduciariis (Viteb. 1764.) §. 8. seq.

<sup>f)</sup> cap. C. ap. SENCKENBERG in l. c. p. 81.

<sup>g)</sup> in diff. cit. c. 13.

<sup>h)</sup> in cap. 55. cit.

ICCI CELSI<sup>i)</sup> memor totum nexum capitis iuris feudalis Alemani-  
nici diligenter inspexeris. Etenim autor, quae sint ratione pro-  
bationis differentiae inter feudum oppignoratum et pignorati-  
tium, hocque propriumne sit nec ne, ibi videtur explicasse.  
Qui pignus in feudo consentiente domino constitutum esse asse-  
rit, id probare tenetur non tam per pares domini seu curiae,  
quam per alios testes. Qui autem feudo oppignorato investitu-  
ram accessisse contendit, huius rei probatione defungi debet  
per pares curiae, quippe qui tantum in causis feudalibus ad te-  
stimonium admitti solent<sup>b)</sup>. Quodsi vero de pignore infeudato  
constet, id non tam ad feuda propria quam impropria referri  
debet, et ita verba: *Lehen Satzung* ist weder *lehen* noch *Satzung*  
recte interpretatur IO. SCHILTERVS<sup>l)</sup>, nec aliam interpre-  
tationem recipere inde patet, quia si feudum pignoratitium ne-  
que sit feudum neque pignus, vix intelligi queat, ad quodnam  
aliud negotium sit referendum. Omnis denique dubitatio plane  
evanescit, se ipsum textum contenderis cum eius inscriptione:  
*Lehen Satzung und recht lehen*, seu uti interpret latinus eam ver-  
tit, *de feudo pignoratitio et feudo proprio*. Cur autem id inter  
feuda impropria numerari debeat, infra<sup>m)</sup> videbimus.

## §. VII.

*Curiarum feudalium Germanicarum usu comprobatur  
infeudatio pignoris.*

Quamvis idoneae atque graves illae rationes sint, quibus  
ad defendendam pignoris infeudati causam usus sum, tamen in-  
feudationem pignoris apud maiores nostros et postea admodum  
usitatum fuisse, ipsis rerum argumentis iam lubet testatum fa-  
cere. Praesto est HENR. CHRIST. SENCKENBERGIVS,  
qui chartam an. MCCCCLVI. super feudo pignoratitio datam  
nobis servauit<sup>a)</sup>. *Ich Reichart von Hoenburg, thun kund aller men-  
nigliche mit diesem Briefe, als der Edel Wolgeborne Luncker Iohann*

B 2

Wild-

i) in l. 24. π. de LL. *Inciutile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere.*

k) IO. IAC. MASCOVIUS in diff. de paribus curia. (Lipl. 1740).

l) in Commentar. ad Cap. C. Iur. Feud. Alem. p. 278. seq. ex edit. IO. GEO. SCHERTZII.

m) §. 12.

a) in Append. document. Fiusd. prius lincis iuris feudalis adicct. p. 55.

Dom. div. *Vasallus* Wildgrave zu Dune und zu Kerburg Rheingrave zum Steine mein gnediger lieber Juncker dem visten Wyrichen vom Hoenburg meyn lieben Vatter seliger Gedechnisse, gegoennet und erlaubet hat, solchen drittentheil, des Dorffes Hupffensheim, mit seiner Zugehoerde zu lossen, umb sechshundert Gulden, also das doch derselbe myn Vatter selige, dem obgenanten mein gnedigen Junckern gelübde und Huldigung davon getan hatt, des genanten dritten Theils **IN PFANDS-LEHENSWEISE** zu gebrauchen. Nach ludd der Prieffe darüber sagendt, undt ich nun sinen Gnaden noch zweihundert Gulden, von frien Willen, zu der obgenanten Summen, thut zusammen acht hundert Gulden uf solchen ehgenanten dritten Theil des Dorffes Hupffensheim mit aller seiner Zugehoerde geben han, und dazu ein solches, und auch die Oeffnung zu Vchtersheim von Seinen Gnaden **IN NEPPANDS-LEHENS- WISE** empfangen auch Sinen Gnaden, Gelübde, Eide und Huldigung davon gethan habe, als dann ein Mann sinen Herrn von Siner Lehen Wegen billich thun soll. — — Idem **SENCKENBERGIVS** <sup>b)</sup> aliud habet exemplum iam ab Illust. **GEO. LVD. BOEHMERO** <sup>c)</sup> excitatum, quo tanto lubentius vtimur, quanto magis id, quod efficere cupimus, confirmare videtur. Quare ipsa diplomatatis verba haud piget hic adscribere. Wernherus Dominus de Bonlanden et Elisabet Sua Matrona, vniuersis ordine subscriptis, recognoscimus et cunctis fieri cupimus manifestum, quod nos Anno Mill. CCmo LXXmo in Kal. Mensis Martii communi assensu obligauimus Walthero militi dicto Kystalin de Wachenheim, exhibitori praesentium dimidiam partem ville nostre in Affenheim, et dimidiam partem iudicii nostri, et dimidiam partem omnium reddituum nostrorum ibidem, ad terminum quatuor annorum duntaxat pro septuaginta lib. hall. in hanc formam, **VIDELICET VT IPSE TENEAT ET POSIDEAT DICTA BONA NOMINE FEODI QVOD VULGARITER DICITVR PHANTLEHEN** finitis etiam quatuor annis a Kal. mensis Martii computandis, si praedicta bona in Affenheim, a nobis non fuerint redempta, et soluta, antepositus Waltherus mil. et sui successores et heredes, praemissa bona in Affenheim tenebunt a nobis et successoribus nostris pacifice et quiete iure et lege feodali. Nec tenentur nobis de iure consentire ad aliquam redemptionem sepeditorum bonorum faciendam. Et super eo renunciauimus omni exceptioni, defensionis,

b) in Meditationibus de vniuerso iure et historia. Vol. I. Fasc. II. p. 265.

c) in principiis iuris feudalis §. 76. in not. a)

*fenfioni, et omni auxilio iuris et legum. Protesamur etiam, quod si memoratus Waltherus mil., quod absit, infra terminum istorum quatuor annorum decesserit, nos seruabimus heredibus et successoribus suis omnes condiciones istius litere inuiolatas fideliter et sine dolo. Ad istius rei testimonium securitatem et cautclam, literam hanc calumpnie cuiuslibet obiciendam, sigillis nostris fecimus roborari. Actum et datum Anno Domini Millefimo CCmo LXXmo, septimo Kal. Mensis Martii. Plura quae huc pertinent, exempla cui legere volupe est, is adeat CHRIST. GOTTLIEB BYDERVM <sup>d)</sup>.*

## §. VIII.

*Constitutio feudi pignoratitii.*

Iam cum pignoris infeudationem nec iuris feudalis rationi repugnare, nec ipsis adeo legibus incognitam, quin potius crebro visu a maioribus frequentatam fuisse, nisi suscepti consilii egregie nos fallit amor, contra SIEGELIVM satis effecisse putemus, age iam ad ipsam feudi pignoratitii constitutionem veniamus. Si dominium vtile certae rei in pignus traditae alteri conceditur sub nexu fidelitatis feudalis, feudum pignoratitium dicitur constitui seu ius pignoris infeudari. Exinde sequitur, vt pignus in securitatem crediti constitutum huius infeudationi antecedere debeat. Quamquam autem constitutio pignoris et huius infeudatio diuerso tempore et actu peragi solet, ita, vt creditori pignoratitio ius pignoris iam constituti in feudum concedatur, tamen nil impedit, quo minus totum negotium vno eodemque tempore et actu perficiatur, quia constituto feudo pignoratitio et ius pignoris et huius infeudatio ponitur, et quod ibi vere fieri solet, id hic factum esse censetur interveniente breui manu traditione. Iam quia feudum pignoratitium sine infeudatione, quae fit per contractum feudalem interveniente inuestitura, non intelligitur, id a feudo oppignorato (*verpfaendet Lehen*) maximopere differre facile patet. Hoc enim non iure feudi, nec interveniente inuestitura constituitur, adeoque in creditorem non transfertur dominium vtile sub nexu fidelitatis vasalliticae, sed tantum feudi possessio et fructuum perceptio, quae ei pignoris titulo tribuitur <sup>a)</sup>. Attamen ex feudo oppignorato fit feudum pignoratitium,

B 3

d) In Amoentatibus iuris feudalis obf. XIX. de feudis pignoratitiiis p. 128. seq.

a) CARL. HENR. MOELLER in distinctionibus feudalibus (ex edit. nouiss. Rostoch 1775.) p. 170.

*Iure Scm.*

titium, si infeudatio pignoris creditori facta a domino feudi ac-  
 cefferit b). Exemplum pignoris, cuius dominium vile vi inue-  
 stiturae in creditorem vasalli oppignorantis anno MCCCCXIII.  
 translatum est, videre est apud IO. GOTTLÖB HÖRNIUM c)  
*Wir Fridrich, Wilhelm und Fridrich von Gottes Gnaden Lantgrauen*  
*- - bekennen - - als die edelen Grave Ernst und Grave Ernst von*  
*Gleichin Gevettern dafelbis und ezu Thunra geseßin vnser lieb'n getru-*  
*wen yr Sloff Tullestette dem gestrengen Ritter Ern Luczen von Giezen-*  
*berg, Luczin und Jorgen Sinen Sönen Ern Erharde Sinen Bruder*  
*Luczen und Egkharde von Giezenberg g'esseßin zeu Molstorf Sinen Vet-*  
*tern und yren Erbin und allen sinen Zeugehoerungen vor achte hundert*  
*margk lotiges Silbers Erfurtischis Zeichens, wyße Gewichtis und*  
*were zeu eyner rechten Pfandschafft Ingesaczt habin nach lute yrer*  
*Briefe die Sy beyderlyt einander darüber gegeben habin, daz wir zeu*  
*der Sazunge vnserer Gunst und Willen gegeben, und denen von Giezen-*  
*berg des Sloffes mit Siner Zeugehoerunge zeu der Pfandschafft bekant*  
*und geliehen habin vor uns und vnser Erbin geben bekennen und liehen*  
*daz also in crafft dieses vnser Brieues. Qua quidem inuestitura ef-*  
*ficitur, vt creditor pignoratitius intuitu pignoris, quo feudum*  
*tenet, fiat ipsius domini vasallus. Ceterum quae iure feudali de*  
*constitutione feudi disposita sunt, eadem in constituendo feudo*  
*pignoratitio sunt obseruanda.*

*iq, vi uiventi  
 iura*

## §. IX.

*Modus constituendi feuda pignoratitia.*

Infeudatio pignoris vel indefinite fit, si nihil definitur circa  
 iura et obligationes, quae feudum pignoratitium concernunt,  
 vel definite, si illa definiuntur conuentione, quam *legem infeuda-*  
*tionis* vulgo vocant. Hac continetur speciale fundamentum  
 iurium et obligationum circa feudum pignoratitium, adeoque  
 naturalibus feudorum aliquid vel additur vel detrahitur. Iam  
 verò si indefinite facta est infeudatio pignoris, tacite contrahen-  
 tibus ea, quae feudo ex iure communi vel particulari insunt, pla-  
 cuisse praesumuntur.

## §. X.

b) III. GEO. LVD. BOEHME-  
 RVS in *diff. de iure relucendi feudum*  
*legitime oppignoratum.* (Goett. 1775.)  
 cap. I. §. 9.

c) In *Leben Fridrichs des Streit-*  
*baren N. 186. p. 792.*



## §. X.

*Feudum pignoratitium non est improprium*  
a) *ratione constitutionis.*

Sunt, qui feudum pignoratitium, quemadmodum omne id, quod titulo oneroso quaesitum est, ratione constitutionis improprium esse existunt <sup>a)</sup>. Cuius suae opinionis rationem ex ipso iure feudali Longobardico reddunt, quia *feudum*, inquit Feudista <sup>b)</sup>, *non sub praetextu pecuniae, sed amore et honore domini acquirendum est*. Quare, quae interueniente pecunia et omnino titulo oneroso a vasallis acquisita sint feuda, ad impropria vulgo referunt. Etsi olim, cum institutum feudorum omnium primo inualuerat, ex mero domini beneficio atque munificentia proficisciebantur feuda, priscoque nomine *beneficiorum* insigniebantur, quod gratis, nec pro pecunia bene meritis conferrentur, tamen succedente tempore cum, bonis domini per crebram infestationem exhaustis, saepenumero vasalli intererat, prout tempora olim in Germania erant, protectionem et tutelam domini obtinere, quantum domini, plures vasallos habere, factum est, vt feuda pro pecunia et titulo oneroso a vasallis acquirerentur <sup>c)</sup>. Sed qui haec ideo ad impropria feuda referenda esse censent, nae is egregie fallitur. Etenim locum ex iure feudali Longobardico allatum tantum ad improbandum pactum commissorium contractui pignoratitio adiectum, debitori quippe captiosum et damnosum ipsoque iure ciuili <sup>d)</sup> prohibitum pertinere <sup>e)</sup>, vt iam nihil dicam, feudi acquisitio titulo oneroso a vasallo facta rationem idoneam non continet, quare id improprium sit existimandum,

a) In hac opinione sunt IO. WVRMSERVS de feudis impropriis class. III. sect. VII. IOACH. MYNSINGER in Cent. 5. obs. 73. PET. SCHVLTZ in diss. de feudo gratiae (Viadr. 1684) cap. II. §. 10. SAM. STRYCK. in diss. supra cit. cap. I. §. 5. CARL. HENR. MOELLER in distinct. feud. (ex edit. nouiss. Rostoch. 1775.) p. 166. et 170. multaque alii, quos citauit SIEGELIVS in diss. cit. §. 9.

b) In I. F. 27. adde II. F. 23. §. 2.

c) II. F. 12. *quodsi cum equis et armis communibus vel PECVNIA communi sit acquisitam* etc.

d) I. 3. C. de pactis. cf. IO. WILH. ENGELBRECHT de lege commissoria contractui pignoratitio illicite et cautioni venditioni aliisque contractibus licite adiecta. (Helmii. 1729.)

mandum, siquidem quae feudi naturam neque augent neque minuunt, nec proprium nec improprium reddunt feudum. Accedit et hoc, quod ne in feudo quidem pignoratitio omnis exulat beneficii ratio, cum dominus recipiat creditorem pignoratitium tanquam vasallum in protectionem et tutelam, eique pinguiora atque ampliora, quam quae ex titulo pignoris proficiuntur, tribuat iura. Ex quibus intelligimus, pignoratitia, quemadmodum emittia, oblata, aliaque titulo oneroso acquisita feuda, ratione constitutionis habenda non esse pro impropriis.

## §. XI.

b) *ratione successionis.*

Nec in reliquis, quae iure feudali de obligatione seruitia feudalia praestandi, inuestituram, casu mutationis existente, renovandi, nec non de prohibita alienatione et de amissione feudi etc. definita sunt, feudum pignoratitium recedit a communi feudorum ratione: de quibus omnibus, cum satis nota sint, differere nec lubet nec vacat. Sed de iure succedendi non nihil dicere necessarium putamus. Quaerenti enim, qui inter descendentes primi acquirentis succedant in feudum pignoratitium capacesne tantum, an etiam incapaces feudorum, multi <sup>a)</sup> occurrunt, qui feminis, contra ac natura feudorum fert, in hoc nostro feudo ius succedendi tribuant, hac ut opinamur (nullam enim reddiderunt) ratione ducti, quia ius crediti et pignoris, quod inest feudo pignoratitio, pertineat ad quoscunque successores, nulla sexus ratione habita. Heredibus feudalibus omnibus extinctis ius retentionis vsque ad reuolutionem ob ius crediti competere heredibus allodialibus, hosque in sortem solutam tanquam allodium succedere negari nequit <sup>b)</sup>. Attamen ius crediti et pignoris,

c) GEO. ADAM STRVVIVS in Syntagm. Iur. Feud. cap. IV. §. 15. p. 136. seq.

a) ANDR. KNICHEN de Vestit. Paët. P. I. C. III. n. 256. HENR. de ROSENTHAL in Synopf. Iur. Feud. C. II. concl. 77. n. 3. WILH. LVDWELL in Syn. Feud. C. IV. p. 82.

IO. SICHARDVS in Conf. feud. 7. n. 4. 5. multique alii.

b) GEO. ADAM STRVVIVS in Synt. Iur. feud. cap. IV. §. 14. n. I. III. GEO. LVD. BOEHMERVS in Principiis iur. feud. §. 76. frustra dissentit IAC. RAVE in diss. cit. §. 20.

ris, quod mere allodiale est, maximopere differt a pignore infeudato, quod principis iuris feudalis regitur. Iam vero ex praesumptione iuris feudalis haud alii ad successionem vocati censentur, quam feudorum capaces. Id enim fert natura feudi, cuius species est pignus infeudatum, nec huic idonea ratio inest, cur feminis ius succedendi in eo tribui debeat <sup>c)</sup>. Quare in feudo pignoratitio non alii successionis capaces intelliguntur, quam qui idonei sunt militiae agenda, indeque feminae, quemadmodum qui defectu animi vel corporis vel famae laborant, a successione in feudo pignoratitio excluduntur <sup>d)</sup>, nisi aliud vel pacto speciali vel curiae feudalis lege obseruantiaque constitutum esse appareat.

## §. XII.

*Feudum pignoratitium ratione restitutionis improprium est.*

Feudum ex praesumptione iuris feudalis <sup>a)</sup> in perpetuum h. e. non solum primo acquirenti sed etiam omnibus in inuestitura comprehensis constitutum esse censetur. Sed feudum pignoratitium in eo recedit a communi feudorum ratione, quod non in perpetuum concedatur. Haec enim pignoris infeudati indoles est, vt ob ius reluendi domino directo tanquam debitori vi pignoris adeoque vel absque pacto speciali competens aliquando restitui debeat. Quare inter species feudi fiduciarii recte referri potest <sup>b)</sup>, vtvt hoc a feudo pignoratitio maximopere differre vulgo existimant <sup>c)</sup>. Quamquam feudum fiduciarium vel absque praevio contractu veluti pignoratitio per inuestituram constitui potest, ita vt statuto tempore pro certa summa pecuniae <sup>d)</sup> vel alia re, vel etiam absque vilius rei praestatione ex lege inuestiturae restituatur, tamen, cum eadem conditio

c) PRAESIDIS diss. de feudis femininis (Lipf. 1775.) §. 20.

d) SAM. STRYCK in diss. supra cit. cap. III. §. II. seq. VLR. MARBACH in diss. cit. §. 20.

a) II. F. 23. in f. I. F. 14. §. I.

b) GEO. FRID. KRAVSS in diss. de feudis fiduciaris (Viteb. 1764.) §. 12.

c) CASP. HENR. HORN in Iurisprud. feud. Cap. IV. §. 12. NIC. HIERON. GYNDLING Erläuterung über Schilters Institut. iur. feud. C. IX. §. 26. p. 346.

d) Illustre exemplum attulit GYNDLING in l. c.

tio in fit feudo pignoratitio, non video, quare hoc inter feuda fiduciaria referri nequeat. Nam ad hõrum naturam solummodo restitutio pertinet, et reliqua, quae in litteris inuestiturae definiri solent, ad accidentalia pertinent. Ius autem reluendi a domino directo intra limites conuentionis exerceri debet. Solut enim pignoris infeudatio vel indefinite fieri, vel definite, constituto vt plurimum tempore, in quod creditori *ius pignoris* in feudum datur. In charta an. MCLXVI. e) Hermannus Hildensem. episcopus ita: *Curtem nostram in Smitenstede cum omnimoda utilitate ad eam pertinente Dno Othelrico de Rivo, Ministeriali nostro, et uxori eius et proli utriusque sexus pro septuaginta marcis in pignore posuimus et in beneficium contulimus; hoc videlicet pacto, vt eam iure beneficii absque omni inquietationis molestia possideant, ET EAM DENVO NOBIS RESIGNENT, ET VTILITATI NOSTRE PLENARIE PROMITTANT, CVM POST TRIVM ANNORVM CVRRICVLA EAM TOTIDEM IN AREIS (lege marcis) REDEMIMVS, VEL ALIQVIS NOSTROVM E ORDINE SVCCESORVM.* Si pignus ad certum tempus in feudum concessum est, ius reluendi lapsõ demum tempore efficaciter exerceri potest. Sin autem nullum tempus est constitutum, reluitioni non prius locus est, quam praeuia denunciatione de forte soluenda. Ceterum reluitione feudi pignoratitii facta, fors restituta non tam heredibus feudalibus vti CARPZOVIVS f) et IACOB RAVIVS g) existimat, sed heredibus allodialibus competit, siquidem fors restituta non feudi sed allodii indolem habet.

## §. XIII.

*Infeudato pignore ius crediti et pignoris non tollitur.*

Antequam iura, quae ex feudo pignoratitio constituto proveniunt, recensere aggrediamur, lubet quaerere, vtrum infeudato pignore ius crediti et pignoris tollatur nec ne: quam quaestionem multo minus silentio praeterire licet, quia viros doctos in ea admodum inter se dissentire cognouimus. IAC. RAVIVS h) vti nullam plane rationem securitatis ratione crediti

e) in Orig. Guelf. T. III. p. 495.

f) in P. V. Resp. 31.

g) in diff. cit. §. 24.

h) in diff. supra cit. §. 13. et 15.

praestandae in feudo pignoratio habet, ita ius pignoris et crediti, si ius reluendi exceperis, per pignoris infeudationem plane extingui putat. Etenim ius pignoris, quo quis rem traditam tenet, simul titulo feudi possidere aequè inter se pugnare ipsi videtur, ac rem propriam titulo pignoris habere, et ne sine lege loqui videatur, et compilatoribus iuris feudalis Germanici <sup>b)</sup> et VLPIANO <sup>c)</sup> testimonium denunciat. Sed haec RAVII sententia causae et ipsi adeo indoli pignoris infeudati repugnat. Omnium primo tenendum, a pignoris natura non abhorre, ut accedat infeudatio pignoris, quod cum in securitatem crediti constituatur, prono alueo sequitur, ut infeudato iure pignoris non tam id agatur, ut iure crediti et pignoris plane sublato, solus nexus feudalis persistat, (id quod nihil aliud esset, quam negotium contrahentium in aliud conuertere) sed ut securitas ratione crediti praestanda vi adiectitiae qualitatis feudalis ex mente contrahentium augeatur. Facit igitur infeudatio pignoris partem securitatis ob debitum praestandae, nec tollit ius pignoris in securitatem crediti constitutum. Ast alia, inquit RAVIVS, pignoris, alia feudi sunt iura, quae simul consistere nequeant. Audio. Vsque dum iura feudi pignoratio exercentur, exercitium iuris pignoris quiescit, quamquam feudo pignoratio semper inest ius pignoris. Non enim ab analogia iuris alienum est, ut iura, quae in rem competunt, ob specialem rationem, quae accessit, interdum quiescant, sed illa sublata reuiuiscant. Ex quibus aptum nexumque est, infeudato pignore exercitium iuris pignoris tantum quiescere, ius vero non tolli. Et in hunc sensum mihi explicanda videntur verba cap. XCVIII. *Iur. Feud. Alem. Gelichen Satzung ist weder Lehen noch Satzung*, i. e. feudum pignoratio neque merum est feudum, neque merum pignus, sed feudum, quod in eo recedat a communi feudorum ratione, quod admixtum habeat ius pignoris et crediti <sup>d)</sup>. Hoc dum pernegat RAVIVS, et domino directo tamquam debitori ius reluendi infeudato pignore nihilominus competere statuit, in contradictionis vitium, cuius alios, qui

C 2

contra-

b) Ius feud. Alem. Cap. 98. §. 1.  
Ius feudale Saxon. Cap. 59.  
c) in l. 45. π. de Reg. Iur. Neque  
pignus, neque depositum, neque preca-

rium, neque emptio, neque locatio rei  
suae consistere potest.

d) IO. SCHILTERVS in Commen-  
tario ad ius feud. Alem. Cap. C.

contrariam sententiam tuentur, arguere voluit, lapsus mihi esse videretur. Etenim ius reluendi cum pignore nitatur, quomodo saluum esse potest, extincto iure pignoris? Sublato principio nihilominus principata retinet, vt etiam si origo exaruerit, tamen, quod mirabile dictu, riu i adhuc fluant.

## §. XIV.

*Ius domini directi in feudo pignoratitio idem ac in aliis feudis.*

Quae iura tum ex feudi essentia et contractu feudali, tum ex iure et obseruantia feudali domino directo competunt, eadem ipsi et in pignore infeudato non possunt non competere. Quae enim infeudationi in genere, eadem et infeudationi pignoris insunt, et per eam iura domini, quemadmodum quae vasallo competant, definiuntur, nec eorum diuersitas aliunde quam ex pacto vel ex iure particulari deriuari potest. Sed his omnibus, cum satis nota sint, diutius inhaerere nolumus, properantes ad ea, quae huic nostro feudo contra communem feudorum rationem insunt iura.

## §. XV.

*Dominio tanquam debitori oppignoranti competit ius reluendi.*

Dominum directum, tanquam debitorem oppignorantem pignus infeudatum reluere posse, nullum plane est dubium. Etenim facultas reluendi, quae restituta demum forte efficax est, seruatur per ius pignoris, quod inest feudo pignoratitio. Ius reluendi autem, cum ex contractu pignoratitio descendat, non solum debitori oppignoranti, eiusque heredibus competit, sed etiam intra fines conuentionis exerceri debet. Ceterum in reluendo pignore infeudato eadem locum habent, quae iure ciuili de relutione pignoris sunt definita<sup>a)</sup>.

## §. XVI.

*Iura vasalli in feudum pignoratitium.*

Vasallo iura ex feudo pignoratitio constituto oriunda non solum in personam domini directi, sed etiam in ipsum feudum compe-

a) PETR. DE TOULLIEU de iurisdictione pignoris: in Collectan. p. 106 seq.

a) in diff. saepius cit. §. 16.

competunt, et de his paulo diligentius agere debemus, ne dere utilitatis egena, vti SIEGELIO<sup>a)</sup> visum fuit feudum pignoratitium, nos differere videamur. Ac primo quidem vi domini utilis vasallo non solum civilis possessio pignoris infeudati competit, simulque omnis securitas praestatur, quae pignori tradito inest, sed etiam plenum ius quoscunque fructus ex pignore infeudato percipiendi tribuitur. Ast cui bono infeudatio pignoris, quum ex moribus Germanorum, vti iam supra<sup>b)</sup> monuimus, ipsius contractus pignoratitii natura ita ferret, vt ille coniunctus fuerit cum iure percipiendi fructus pignoris? Res salua est. Infeudatio pignoris, quae ob alia, quae praeter ius vtendi fruendi ex nexu feudali oriuntur iura, et domino et vasallo fuit proficua, etiam antiquis temporibus haud plane extra vsum fuit, tamen imprimis tum crebro facta est, vbi iura peregrina et praesertim pontificia in Germania inualuerunt, et mores Germanorum de statu suo deiecerant. Cum enim Pontifices, vti ex malo intellectu sacri codicis loco<sup>c)</sup> vsuras, sic quoque contractus vsurarios improbasent<sup>d)</sup>, et inter hos etiam antichreses, quia fructus loco vsurarum percipiuntur, retulissent<sup>e)</sup>, creditoribus pignoratitiis securitas, quae pignore accepto ex moribus Germanorum tribuitur, iam non praestabatur. Quia autem eorum, qui pecunia egebant, creditores inuenire tantum intererat, quantum creditorum, ob sortem vsurasque se tutos praestari, factum, vt varia mutua palliata ad vim legum Pontificiarum eludendam fuerint introducta. Nec me poenitet esse huius opinionis, ut ipsa feuda pignoratitia inter illa referam. Contractus enim pignoratitius pallio infeudationis ideo inuolutus esse videtur, vt ius re oppignorata vtendi fruendi, quod ipso iure pignori Germanico, quod ideo antichreticum vocant, inerat, aduersus principia iuris Canonici vsuras et antichreses vetantis tutum praestaretur. Quum autem dominium vtile sua natura sit plenarium et folitarium, sequitur, vt vasal-

C 3

lus

b) §. 2.

c) Illustris IO. DAV. MICHAELIS de mente legis Mosaicae vsuras prohibentis. (Goetting. 1750.)

d) FRID. WILH. FEDEL fons errorum de odio vsurarum legitimo investigatus et obstructus, (Rint. 1753.)

e) C. 4. 6. X. de pignor. C. 32. X. de iureiur. C. 1. 2. 8. 16. X. de vsur.

f) IO. IAC. SORBER, de censu constitutio s. mutuo palliata (Lenae 1746.)

ius non solum quoscunque fructus ex pignore infeudato possit pleno iure percipere, nec, quemadmodum creditor antichreticus ad rationes reddendas <sup>g)</sup>, multo minus ad fructus ultra legitimum vsurarium modum perceptos in sortem imputandos <sup>h)</sup> teneatur, sed etiam dominum directum ab vsufructu pignoris infeudati excludere possit, nec illius est, in societatem usufuctus venire, nisi ipsi sit speciatim reservatum.

## §. XVII.

*Ius vasalli de feudo pignoratitio disponendi restrictum.*

Creditori pignoratitio competere ius pignus pignori dandi <sup>a)</sup>, ideoque ius pignoris inuito adeo debitore alteri cedendi inter omnes constat. Sed si ius pignoris infeudatum fuit, illa liberissima disponendi facultas, cum hanc nexus feudalis non admittat, vasallo denegatur, siquidem iuri de feudo pignoratitio disponendi iidem sunt positi limites, quibus proprietates feudi vasallo competens iure feudali est restricta. Quare alienatio feudi pignoratitii a vasallo in extraneum sine consensu domini directi facta non solum nulla sed etiam illicita est. Nec si salvo nexu feudali ius in re alteri constitutum est in feudo pignoratitio, aduersus dominum directum vim habet, nisi huius consensu sit peractum.

## §. XVIII.

*Vtrum vasallo ius refutandi feudi pignoratitii competat.*

Vasallo ius feudi inuito adeo domino directo refutandi competere, et refutationem, dummoda bona fide facta sit, validam et licitam esse nemo in tanta legum feudalium <sup>b)</sup> perspicuitate negauerit. Sed an idem ius vasallo in pignore infeudato competat, non vna et consentiens DD. iuris feudalis sententia depre-

g) DIET. HERM. KEMMERICH de creditore antichretico rationes non redditae. (Ienae 1733.) HENR. BROKES de antichresi, quatenus est vsurariae prauitatis inuolucrum non tolerandae. (Viteb. 1734.)

h) GOTTH. LUD. MENCKEN nullum excessum vsurarum in pacto antichretico esse tolerandum. (Lipf. 1745.)

a) L. 1. 2. C. Si pignus pign. dat. L. 3. C. de hered. vel act. vend.

b) II. F. 38. Ius Feud. Alem. C. 5. Aur. Bull. c. 14. IO. HENR. HERTTENSTEIN de refutatione feudorum (Argent. 1710) GVIL. HERON. BRVCKNER de refutatione feudi diss. (rec. Ienae 1755.)



deprehenditur. SRYKIVS <sup>b)</sup> quidem id negat, si vasallus refutatione ita vtatur, vt deinceps pignus distrahere queat. Alii <sup>c)</sup> contra id ius vasallo competere affirmant, quorum sententiae et nos calculum adiciere non dubitamus. Si enim ius feudi in manus domini refutandi ad certum tempus in lege inuestiturae haud fuerit restrictum, nullam video rationem, curri vasallus id ius, quod ipsi ex lege competit, vt lubitum fuit, in pignore infeudato exercere possit. Iam cum refutatione feudi simpliciter facta, nexus feudalis finiatur, feudumque domino aperiatur, quaestio oritur, num vasallus tanquam creditor nihilominus ius crediti et pignoris saluum retineat; IAC. RAVIVS <sup>d)</sup> refutatione pignoris infeudati facta fortem repeti non posse, adeoque ius crediti extingui existimat, quia pignus Germanicum cum emtione sub pacto retrovenditionis coincidat, adeoque feudum pignoratitium ad normam feudi emtiti debeat aestimari. Quemadmodum autem in feudi emtiti, sic quoque pignoratitii refutatione nil pretii vel fortis sit restituendum. Sed quam male consecutionis filum a feudo emtiti ad pignoratitium duxerit RAVIVS, facile intelligitur ab iis, qui perspectum atque cognitum habent, quantopere emtio cum pacto de retrovendendo a contractu pignoratitio differat <sup>e)</sup>. Quanquam enim lubenter largimur, formam venditionis eiusque pacti adiecti subinde adoptatam esse ad tegendum contractum pignoratitium, tamen qui omnem emtionem cum pacto de retrovendendo pro contractu pignoratitio habere velit, nil aliud agat, quam contractum contra mentem contrahentium in alium convertere. Etenim in emtione cum pacto de retrovendendo vere id agitur, quod in contractu emtionis venditionis continetur, quanquam facultas pignus reluendi, quae restituta sorte competit, per pactum de retrovendendo seruetur. Refutationis pignoris infeudati ea vis nobis esse videtur, vt iura, quae ex feudo constituto proficiscuntur, intereant, non vero, quae pignoris titulo competunt. Quid enim? Refutatione feudi continetur renunciatio iuris. Haec autem strictissime et ita interpretanda est, vt renunciants quam minimum

b) In diss. cit. Cap. IV. §. 12. seq.

c) ULR. MARBACH in diss. cit. §. 20.  
IOH. GOTTL. SIEGEL in diss. cit. §. 5.

d) In diss. cit. §. 19.

e) CHRIST. THOMASIVS distinct. de usu inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractu pignoratitium, Cap. 2.

minimum iurium suorum remisisse censeatur <sup>f)</sup>. Ex his omnibus consequitur, ut refutans feudum pignoratitium cedat iuribus ex illo oriundis, sed ius crediti et pignoris saluum retineat, nisi de alia refutantis mente perspicue constet.

## §. XIX.

*Feudo pignoratitio finito ius pignoris usque ad reuisionem saluum-  
perstitit.*

Feudum pignoratitium non solum feloniam amittitur, sed etiam iisdem, qui iure feudali definiti sunt, finitur modis; quibus alius et feudo pignoratitio proprius accedit, qui continetur iure reuendi domino competente. Quocumque autem modo si feudum pignoratitium finitum est, an simul ius crediti et pignoris sit extinctum, haud inepte quaeritur. Ius crediti et pignoris per infeudationem iuris pignoris non tolli, sed potius pignori infeudato inesse supra <sup>a)</sup> iam monuimus. Iam vero finito feudo pignoratitio iura quidem, quae feudi titulo competunt, extinguuntur, non vero iura, a nexu feudali haud pendencia. Quare cum ius crediti et pignoris merum sit ius allodiale, id finito feudo pignoratitio non tam extinguitur, quam potius usque ad reuisionem pignoris saluum perstitit, et creditor eiusque heredes non solum ius retentionis exercere, sed etiam, si debitor in mora soluendi debiti est, pignus valide distrahere possunt, dummodo ibi ea obseruentur, quae de distrahendis pignoribus iure communi sunt praescripta.

<sup>f)</sup> L. 21. C. ad SC. Vellei, L. 35. L. 47. de praesumptionibus L. III. praef. 45. §. 1.  $\pi$ . de pacif. adde MENOCHIIUM n. II. & L. VI. praef. 41. n. 1.

<sup>a)</sup> §. 13.

## COROLLARIUM.

In actione ad carceres publicos (*Schuld-Thurms-Klage*) exceptionum illiquidarum, multo minus earum, quibus cambii rite recogniti fidem infringere studet debitor, habenda non est ratio, et debitorem ad earum probationem admitti non debere, tum ex ipsius actionis indole perspicitur, tum in Saxonia Electorali expressa lege O. P. S. Tit. LII. §. 4. perspicue sancitum est.





Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

sb:



1777 31.

CIAE  
NORATITII.

TATIO

AM

S ICTORVM COLLEGII

SIDE

EOPHILO KINDIO

DOCTORE, PROFESSORE PV-

CVRIAE SVPREMAE PROVIN-

II LIPSIENSIS ADVOCATO

RIO ICTORVM

IS A. C. N. MDCCCLXXVII.

ENDET

STEINMETZ

TRAIECTANVS.

SIAE

REITKOPFIIS.

